



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divus Sebastianus Eberspergæ Boiorum Propitius, Seu
Cultus Eiusdem Gloriosi Martyris à Prima Loci Fundatione
Ad Nostra Usque Tempora Propagatus, Et Nunc Publicæ
Luci Datus**

Widl, Adam

Monachij

In Synopsi Vitæ Sancti Sebastiani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37233



SYNOPSIS VITÆ

S. SEBASTIANI
MARTYRIS

EX FLORE SANCTO-
RUM PETRI RIBADENEIRÆ,
ET ACTIS SANCTORUM JO-
ANNIS BOLLANDI.

Repositum mihi non est,
vitam S. Sebastiani Mar-
tyris fusiore calamo da-
re, sed amœnâ magis brevitate, ut
delectentur potius, qui eam legunt,
quàm obruantur, aut fastidiant.
Eam Tractatui huic præfigo, quia
gesta & dignitas præcipui Martyris
id merentur, ut in propylæo Opu-
sculi hujus fulgeant, & præ cete-
ris omnibus legantur, imò non tan-
tùm legantur, verùm etiam in ho-

A nestif.

2 *Sebastiani Patria. Res gesta,*
nestissimam imitationem & exem-
plum trahantur.

§. I.

SEBASTIANI PATRIA,
RES GESTÆ, FACTA ILLU-
STRIORA IN VIVIS.

Geminæ nobilissimæ Urbes Se-
bastianum suum faciunt, seu
civem, seu gentilem Narbona, &
Mediolanum. Utraque contendit
sibi proprium, & lite quidem longè
gloriosiore, quàm olim septem Ur-
bes Græciæ pro Homero depugnâ-
rint. Neutri civitati nos Sebastia-
num invidemus, imò gratulamur
utrique præclarum adeò Martyrem,
cujuscûnque demum sit. Si Riba-
deneiræ arbitrio in dubia causa stare
placet, quod vero similis videtur,
Narbonæ natum Patre Gallo ex
Matre Mediolanensi credimus. Me-
diolanum educationem, & primam
illi institutionem dedit. Parentem
utrûm-

*Parentes S.
Sebastiani.*

utrumque Nobilitas generis commendaverat, quam ex fonte haustam Sebastianus generosis postmodum factis, & fuso pro Christo sanguine, in ipso Orbis theatro Romæ amplius explicavit, auxit, illustravit.

Vixit Sebastianus eâ tempestate, quâ rerum potiebantur Diocletianus & Maximianus, funesta Christianæ Republicæ nomina. Utrique tamen apprimè charus erat, quod virum non tam dignitas Corporis, quàm eximiæ dotes animi, mira prudentia, comis quædam in agendis dexteritas, spectata fides & virtus, militaris insuper fortitudo supra ceteros extulerant. Unde à Cæsare intimis non modò consilijs, verùm etiam, si res posceret, gravissimis quibusque expediendis negotijs admovebatur. Sed & militari vulgo longè acceptissimus erat, & summis honoribus cultus; cum ceteris conspectior primæ & Prætorix cohortis, seu custodiæ corporis Ducem

ac Præfectum ageret ; quod munus inter aulæ primaria numerabatur.

Fides Sebastiani.

Quæ viri eximij felicitas fuit , erat Christianâ fide imbutus, quam tamen non metu, multò minùs politico quodam artificio, sed sanctâ, quâ pollebat, prudentiâ è cælo haustâ tam scitè tegebat, ut Christianus quidem esset vitâ & moribus, sed talis vulgò non agnosceretur. Æstuebat equidem incredibili Martyrii desiderio: Nam Palmæ eo cruento tempore ultrò venales haud multò constabant: Verùm gratius longè se DEO facturum arbitrabatur, si calorem illum non nihil moderaretur, & ab aperta fidei professione ad tempus abtineret, ut plus prodesset, & Christianorum amaras necessitates opportunè solaretur; quod & re ipâ præstitit non confidenter minùs, quàm efficaciter: nam frequens ipsemet carceres obire, visitare captivos, eorum miseras facultatibus sublevare suis, vacillantes

facta illustriora in vivis. S

tes in tormentis , quâ nutu , quâ
verbis erigere solenne habuit.

Specimen Christianæ eloquen-
tiæ dedit in Marco & Marcelliano,
Romanorum nobilissimis æquè, ac
ditissimis. Erant illi pro Christo
comprehensi & carceri mancipati.
Agebatur de fide ejuranda, aut dan-
do sanguine. Triginta dierum in-
ducia concessæ fuerant ad delibe-
randum , quid mallent. Interim
potentes arietes omni ex parte ad-
movebantur labefactandæ constan-
tiæ. Aderat parens ipse Tranquil-
linus canis venerabilis, & capitis ni-
ves longâ ætate collectas ostentabat.
Aderat & mater importunè que-
rula, & sexum suum professa; Ille
paternam potestatem omni exce-
ptione majorem, ista uterum suum,
in quo jacuissent filij , appellabat;
exerta subinde ubera, quæ ingrati
suxissent, materna viscera, quibus
nihil in tota natura teneriùs, de-
monstrabat. Accessêre dein Con-

*Marci &
Marcelliani
fratrum li-
sta.*

A 3 ful-

fultores, pessimi, amici & confanguinei, quibus familiariter assueverant; tendebant supplices manus, & per arcta amicitiae, cognatique sanguinis jura precabantur, ne mori vellent: Accedebant praeterea uxores Martyrum, formae selectissimae, muliebriter blandae, parvulos filios amplexae, & per sacra thori maritalis foedera, per datam sibi fidem & anulum obtestabantur, ne se, & teneros liberos ante tempus irent perditum: Monstrabant tristem ac squalidam faciem ipso dolore formosiores; fundebant insidiosas lacrymas, vellebant capillos, pugnis pectora tundebant, & quid non? Memorabant divitias, plenas arcas, partas opes, quibus excidere necesse foret: Recensebant tormenta supra humanam patientiam gravia, quae ipsis toleranda; florentem aetatem, quam perdituri essent inter carnifices; mortem ignominiam plenam, sepulchri jacturam, & multo
his

his plura ; Verbo , eloquentiæ & suadæ omittebant nihil. In hoc articulo quid agerent deprehensi pugiles ? quò se verterent ? quæ columnæ ad hos cuniculos non contremiscerent ? qui scopuli non diffilirent ? quæ petræ non emollescerent ? Et re verâ jam inclinare videbantur fracta tot insultibus pectora, nisi aliunde auxilium accessisset à fortiori.

Aderat commodùm huic spectaculo Sebastianus , & periclitantes Athletas fixiùs intuitus, necessarium putavit laborantibus novas vires addere, seq; Christianum jam quoq; publicâ libertate profiteri. Quod & fecit animosè juxta , & fortiter. Ejus oratio cùm præclara omnino sit, & plena roboris, placuit illam hîc apponere ; neque enim obfuturam compendio nostro censemus, cùm sint propemodum tot gemmæ cælestis eloquentiæ , quot verba. Macti animis estote, inquiebat, fortissimi

*Sebastiani
potens Sermo
& Oratio.*

tissimi milites, & in gloriosa causa vincere plus quam pulchrum & honestum putate; Viros vos ostendite, nec finite, ut victrices Palmæ, quas jam tenetis manibus, vobis inutili vestrorum gemitu infringantur: Agite, quod agitis, fortiter; State, durate invicti: Ne respicite, quæso, Viri Deo dilecti, si & ipsi æquè Christum amatis, ne respicite in hac causa vestra inimicos hominis, domesticos; Lenociniis non attendite; Sirenum cantibus, Crocodili lacrymis, scitis, qualibus, ne moveamini: Ista ad viros, quales vos estis, non pertinent; Ad altiora geniti estis, quam ut caro & sanguis, ac muliebria lamenta de statu excelsæ mentis vos deiiciant: Valeant itaq; hortamenta parentum, valeant blandimenta Uxorum, consilia amicorum, vagitus liberorum, vox divitiarum, & opum, suadæ voluptatum, valeant: Caduca sunt hæc bona; cadunt cum labili; Ad
ratio-

rationes æternas, ad excelsas cogitationes mens vobis advertenda, comparandus animus, si victoria placet: Mihi credite, O Viri, facilis jactura est eorum, quæ perdi possunt, & suapte naturâ paulò post desinunt: Verè nulla damna in damno sentit, qui DEO fidit; nulla res creata illi perit, qui Creatori servit, & qui Cælum suspicit, facilè terram despicit: Eja generosi milites, fidei scuto vobis opus est; Statuite vel ex hoc momento, quòd velitis vincere, & DEO adjuvante etiam possitis: Ostendite parentibus vestris, quantumvis charis, naturam, tametsi fortissimam, nihil valere, si cum gratia & Christo in comparatione veniat; ostendite, nullam Christianam fortitudine sub sole majorem esse; docete malè blandas Uxores vestras, delicatos liberos & cognatos, quotquot sunt, nihil fingi posse, vel adeò formidabile, vel tam amabile, ac dulce,

A 5 quod

quod Christianos à DEO suo avel-
lere, aut dividere valeat, tametsi
tota natura contrà insurgat: In eo
jam articulo vos positos cernitis,
Viri, ut vel Christum prodere, vel
certè hos omnes, qui coràm ad-
sunt, & unà vosmetipsum amittere
debeatis: Contempistis hæc omnia
hactenus, fratres, generoso & sub-
limi animo, & cur non deinceps?
Vicistis tormenta, carceres & cata-
stas; & nunc vincant vos lamenta
mulierum? Non cessistis lictorum
fascibus,loris,& fustibus, & jam ce-
detis imbellibus & pronis lacrymis?
Invicti perstitistis inter immania
verbera, & jam, proh dolor, vos
sternent verba mollia & effeminata?
procul hoc à vobis probrum boni
cælites avertant, ut seponere fortè
illum velitis, qui vos suo sanguine,
eoque tam pretioso, emit; Illine ve-
strum negabit, qui pro vobis su-
um dedit? Nolite, obsecro, hoc in
vos dedecus admittere, ut tantâ
apud

apud ceteros Christianos, vitæ suæ,
uti scitis, prodigos invidiâ conflagretis, ut dicere possint, cecidisse Marcum & Marcellianum multarum antehac palmarum Heroës feminis, cognatis, tormentis; caduca ipsos æternis antetulisse, pessimum aliis exemplum metu suo reliquisse, degenerasse, æternum periisse: Et quæ tandem hæc est vita vestra mortalis & desitura, cujus amore & lucro immortalem perdere, & Christum negare velitis? quantula ejus portio, illecebra, & felicitas est, ut dignam censeatis tanto vestro perjurio? nonne & pecoribus illa nobiscum communis est? quid ergo homo, cæleste illud animal, præ illis amplius & excellentius habet, si totam felicitatem hac unâ definitam creditis? est est, O mei, nobis anima, eaque immortalis, quæ aliam vitam, illamque æternam, tunc primum inchoat, ubi vita corporis in cineres desit; hanc si intelligerent illi,

illi, qui vobis malè suadent amici,
vitam sine morte, solatium sine mœ-
rore, felicitatem absque fine, opes
sine jactura; pulchritudinem sine
corruptione, statum sine defectio-
ne, aliter profectò sentirent, aliter
loquerentur; dicerent fortasse, vi-
tam illam meliorè omnino dignam
esse, quæ omnibus tormentis, & in-
geniosâ Imperatorum tyrannide e-
meretur; fortè vos ipsos licitoribus
traderent, in tormenta & paratas
mortes impellerent; Nunc verò,
quoniam tam acutè non vident, &
totam felicitatem perituræ hujus vi-
tæ limitibus circumscribunt, igno-
scendum quidem eorum cæcitati
autumo, nullo autem modo se-
quendum vobis exemplum censeo;
Satagite proin, Viri fortes, & coro-
nam vestram, quam plectere cœpi-
stis, pertexite; non enim in Chri-
stianis initia spectantur, sed finis:
State in fide, & quam homini serva-
retis, DEO non frangite; State,
in-

inquam, tormenta contemnite, in quibus Christus vobis aderit, sicut & ceteris, qui ante vos vicerunt: Audete spernere, quod cum tempore desinit, & compendium putate, quod finitur; animam potius ignobili & luteo corpore meliorem censete; ea si bene habeat, cetera salva creditote: En! Christus, cui spectaculum facti estis, pugnam vestram præsens arbitratur, ut pugiles suos coronet; Nolite hoc illi theatrum invidere, ne in vobis præmia sua non bene collocata videat: Sed & vos, O parentes Heroum istorum, hæc ipsa, quæ dico, altiùs in animum admittite; & vos, O Conjuges, discite, quæso, quid illud tandem sit, quod nos Christianos movet, ut cum voluptate ante tempus mori ambiamus, & quid illud sit, quod vos impellit, ut hosce Christi pugiles in vita retinere cupiatis: Nonne Mundi hujus modica usura, quæ, ubi tantillo tempore duraverit,

rit,

rit, cum fumo dispergitur, & sempiternum secum divortium, longam malorum appendicem, nullo fine terminandam trahit: Quis autem sapiens mercator hæc volatica bona, tot casibus obnoxia cum illis æternis comutet? quare, O parentes, ne revocate filios vestros à bene coeptis, neque vos, O Coniuges, maritos vestros sub cultro jam jam positos à vita ad mortem, à luce ad tenebras, à gloria ad infamiam, ab adita jam patria ad exilium, à Corona ad interitum, è Cælo ad infernum retrahite: Sinite illos ire in gladios, & enses, in ignes & aquas; Sinite illos hoc Corpus, & lutea membra prodigere, cruorem fundere, caput securi offerre; Nam tantulo impendio ingens felicitas comparatur. Hæc perorantem Sebastianum ingens & manifesta è Cælo lux circumfulsit, ac radijs circumferè per horam tenuit. Apparuerunt subinde cælestes Genij septem,

tem, mirè speciosi, qui medium acceptum Sebastianum omni officiorum genere coluerunt.

Acta sunt hæc in Nicostrati ædibus, ubi vincti Martyres Marcus & Marcellianus servabantur. Erat Nicostrato uxor, Zoë nomine, Matrona rarâ morum integritate spectabilis, sed malè à morbis habita, utpote ante sexenium linguæ usu destituta. Hæc, ubi insolitum splendorem Cælo delapsam vidit, probèque omnia, quæ Sebastianus differuerat, intellexit, intùs mox salubriter icta, & Baptismi desiderio accensa, eundem, cum linguâ adhuc mutâ non posset, signis & nutibus à Sebastiano petiit, addiditq; deinde, vidisse se Angelum homine venustiore, qui Sebastiano librum prætendebat, ex quo ipse continuo verborum filo totam orationem suam quasi legendo depromebat.

Eâ Matronæ petitione motus Sebastianus, qui prodigia quoque, si
res

*Nicostrati
domus & familia,
Sebastiani miris
ad fidem
conversa,*

res posceret, in potestate habebat, justis precibus annuendum censuit; Verum priusquam id perficeret, elinguem Zoem (ut erat teneri in omnes sensus) miseratus, ea, quæ fusè coram presentibus declamaverat, miraculo quoque confirmare voluit: Subinde in hæc verba prorupit; Si verus Christi servus sum, & vera itidem sunt, quæ paulò antè disserui, is ipse Dominus meus JESUS te sanet, & mutam tibi linguam expediat, vocis officium reddat: quæ ubi dixit, simul mutis labris Crucis sigillum digito suo formatum impressit, & ecce! Miraculum prorsus illustre: illo ipso momento Zoë ex muta repente disertæ captivæ linguæ vinculum rupit, exclamavit, gratias egit, digitum DEI, miraculi patratorem, justo præconio celebravit. Quæ ubi Nicostratus vidit, sacro quodam horrore, & ipse percitus, mox Christo se credere professus est. Sed & Tranquillinus

nus & Martia, uterque Martyrum
parens, divinitus illustrati Christo
nomen dederunt. Manabant om-
nibus dulces lacrymæ, non jam
turbidæ, sed prorsus ex alio fonte,
quàm prius fluxerant: Deslebant
jam non Marci, & Marcelliani sta-
tum, sed proprias tenebras, quibus
tanto tempore damnatos se vide-
bant: gratulabantur jam filiis suis
felices ærumnas, & præ copia boni
pectoris sibi ipsis optabant catenas,
mortes purpureas, & tormenta, à
quibus antehac toto stomacho ab-
horrebant. Id ipsum Marci & Mar-
celliani Uxores supra sexum jam
fortes precabantur, liceret sibi vel
maritos præire, vel sequi, ita, ut
unâ eadêmque solenni pompâ inte-
gra familia sexaginta octo capitum
à Polycarpo Presbytero fuerit ablu-
ta, quo in actu non unum quoque
prodigium intervênit: Tranquilli-
nus enim doloriferâ Podagrâ to-
tum corpus pervadente propè inu-

*Tranquilli-
nus Marci
& Marcelliani
parens
cum tota
familia à
Sebastiano
ad fidem
conversus.*

B tilis

tilis factus, ita, ut vix ullum motum in potestate haberet, ubi primum salutari undâ tinctus est, pristinum membrorum virorem, ac plenum usum recepit. Tanti erat unius cordati viri oratio verbis & miraculis supra naturæ vires potens, & efficax.

*Marci &
Marcelliani
Martirii.*

Inter hæc Marcus & Marcellianus, qui paulò antè nutabant, jam solido ære fusi apparebant, certi pro Christo mori, tametsi per lenta & exquisita tormenta spiritus exigeretur. Increpabant jam nimis longas triginta dierum inducias, & querebantur, tardiùs ire tempus ultimo agoni designatum; quem vitæ suæ terminum ultrò advocabant votis, gemitibus, & suspiriis viro forti dignis. Nec multò post honestissimis votis damnati sunt: palo quippe ferreis clavis affixi, & lanceis medii transfadacti ingentē animam per grande & capax vulnus emiserunt, è quo plus gloriæ, quàm cruoris fluxit. Sed

Sed necdum spectaculorum fa-
ris. Debeatur præter hos insignes Christi pugiles Sebastiani gloria ipse etiam Chromatius Urbis Prætor, vir & Nobilitate sanguinis, & officio primarius. Is, ubi Tranquillini, Nicoftrati, Zoës, & reliquorum subitam mutationem, prodigiosas insuper morborum, curationes medicâ Sebastiani manu perpetratas ex ipsomet Tranquillino intellexisset, ipse quoque digito DEI opportunè tactus Christianam veritatem edoceri petiit, sanctè testatus, si ipse quoque molestissimâ podagrâ, quâ ad impatientiam usque laborabat identidem, ope Sebastiani liberaretur, se ceterorum exemplo Christianum fore. Stetit dictis fides, sed sanatio majoris moliminis ac negotii, quàm in Tranquillino, fuit, non defectu Medici, sed culpâ ægroti. Advocatus Sebastianus promptam operam obtulit, sed iussit prius plenam idolis domum purgari,

*Chromatius
Urbis Prætor
miraculo à
Podagra liber à D. Sebastiani ad
fidem conversus.*

gari, Deos efferri, simulacra comminui. Obsecutus Chromatius omnia præstitit; nolebat tamen pertinax eò usque inquilina ex diu infesso corpore abscedere podagra. Miratus Sebastianus mali resistentis contumaciam, id, quod erat, suspicatus, culpam penès Chromatium denuò residere agnovit; cùm ex eo amicè percontatus, an non aliquod superstitionis spoliū domi suæ reliquum esset, re ipsâ comperit, Crystallinum alicubi Cælum asservari, quo irrequieti siderum motus, sphærarum circumrotationes, ambulationes stellarum ad leges Astronomicas ad vivum, ut aiunt, repræsentarentur. Erat hoc opus sumptuosum inprimis, & plenum elegantiarum, in quo dubium, an materiam ars, an artem materia superaret, ideóque domino suo unicè in delitiis, ac percharum, partim quòd à parente Tarquinio hereditarium accepisset, partim, quòd ipsi

ipsi pro instrumento serviret Astrologiæ curiosæ, seu ut vocant, judiciariæ, quâ mirificè Chromatius delectabatur: quòd sanè in Ethnico haud adeò mirum videri debet, cùm ea scientia etiam hac nostrâ ætate hodie dum multorum Christianorum esca esse perhibeatur, eorum præsertim, qui futura, homini vetita ac remota plùs æquo curiosi scrutantur. Nihilominùs Sebastiani suasu eò permotus est Chromatius, ut auderet etiam Crystallinum illud artificium, perditè licèt adamatum, Deo & sanitati posthabere, quo in frustra comminuto conspicatur Chromatius Juvenem supra mortales formosum sibi adstare propiùs qui leni tactu ægrum mulcens, momento annosâ podagrâ liberat. Eo spectaculo intimè recreatus Tiburtius Chromatii filius, florens Juvenis, & ipse ejusdem cum patre voluntatis efficitur. Neque hîc stetit exem-

B 3 plum:

plum : Nam quò caput præit, sequuntur & membra. familia tota, eaque perquam numerosa in Christum credidit. Opportunissimè hæc conversio cecidit; nam ea tempora erant, Christianis adeò infesta, ut ne emere quidquam ad victum ulli eorum liceret, nisi idola hinc inde in foro erecta priùs adorassent. fame itaque pereundum fuisset plurimis, nisi Chromatii charitas succurrisset, qui in suburbanis ædibus; quò abdicatâ Præturâ secesserat, plurimos eorum hospitaliter & lautè habuit.

*Sebastianus
à Cajo Rom.
Pont. Titulo
Defensoris
Fidei hono-
ratus.*

His aliisque egregiis Sebastiani factis pro Ecclesia DEI præstitis Cajo eo tempore Romanus Pontifex, uti par erat; permotus, singularem Sebastiano per omnia strenuo gratiam referre statuit; quare solenni elogio *Defensorem Ecclesiæ* dixit. Eum titulum summè honorificum & plenum sanctæ ambitionis primus omnium Sebastianus tulit, qui postea

posterioribus sæculis non nisi Coronatis Capitibus de Ecclesia DEI optimè meritis dari solitus fuit, licet malè collocatum in Henrico VIII Anglorum Rege Ecclesia postmodùm luxerit univèrsa.

§. II.

ILLUSTRE CERTAMEN
AC MARTYRIUM S. SEBASTIANI. MORS GLORIOSA. CORPORIS EX LATRINA, IN QUAM PROJECTUM FUERAT, ELEVATIO.

Longus forem, si omnia Sebastiani præclara, quæ circa alios edidit facinora, etiam compendio recensere me posse, considerem, ultimum tamen ejus certamen, quod pugnavit bonum, omittere nefas foret, cùm nihil magis hujus loci sit proprium: Sicut enim Sol nunquam humanis oculis gratiosior apparet, quàm cùm tumulo suo propinquus,

24 *S. Sebast. illustre Certamen ac Martyr.*
vespere totus pictus & rubicundus
occidit, ita Martyrum obitus pro-
prio sanguine purpuratus longè est
in termino suo illustrissimus.

*Ingens per-
secutio
Christiano-
rum.*

Non poterant in longum hæc pie
occupationes, quas Sebastianus
Christianis impenderat, Diocletia-
num latere, qui partim suapte na-
turâ sævus, in venationem Christia-
norum ferebatur, partim assenta-
torum invidiâ in eorum excidium
stimulabatur. Sunt, qui memorant,
eo regnante, tam inimica quandò-
que tempora ingruisse, ut mense
unico septendecim Christianorum
millia, justus exercitus, immani fu-
rori dirâ sanguinis effusione fuerint
immolata. Quanta, DEUM immor-
talem innocentis hæc ac sinceri
sanguinis prodigalitas! quantum
macellum! Extirpatio totius gentis
sub hoc Tyranno meritò timeri po-
terat, nisi sanguis Martyrum fuisset
semen Christianorum. Inter
alios proin etiam Cæsari Sebastia-
nus,

Mors gloriosa. Corporis ex latrina elev. 29
nus, ut Christianus, delatus est.
Qui nuntius Tyrannum pessimè
propterea habuit, quòd videret,
etiam aulam suam, ac palatium eâ
Christianorum fæce, uti tunc vo-
cabatur, & fordibus hominum non
vacare, proximos ex illis Impera-
torio lateri assistere, dignitatibus
florere, negotiis præesse, quos ipse
stirpitùs excisos, & omnibus ele-
mentis interdictos cuperet. Quare
supra modum accensus, cum blanda
in Sebastiano nihil proficerent,
eum, tanquam mortalium omnium
ingratissimum severè increpitum.
ab aula, urbe & conspectu suo pro-
tinus eijci, palo in signum alligari,
& sagittis barbarum in modum con-
figi iussit. Dictum factum. Seba-
stianus telorum imbre appetitus,
omnium opinione mortuus credi-
tus, nullâ sepulchri curâ habitâ in
leco supplicii relictus fuit. Sed
minora erant ea telorum vulnera,
quàm ut ingens illa anima per tam

*Sebastianus
sagittis con-
fixus.*

26 *S. Sebast. illustre Certamen, ac Martyr,*
angusta foramina egredi posset.
Majora manebant Sebastianum cer-
tamina ; simplex Heroi Martyrium
non suffecerat, geminari oportebat.

*Sebastianus
vixit in-
uentus, &
ab Irene ca-
ratus.*

Exspiraverat tunc dies, non verò
cum die Sebastianus. Subinde in-
tempestæ noctis silentio Irene no-
bilis matrona, Divi Castuli, seu Ce-
tharii Martyris nuper conjux, jam
vidua, & ipsa Christiana bono uti-
que ductu cum famulis ad locum
venit, supremum Martyri honorem
habitura, & mortuum tumulo illa-
tura. Præter spem accidit, ut spi-
rantem adhuc Sebastianum inveni-
ret. Quare acceptum Christi Ath-
letam, uti erat, Sagittis confixum
domum suam eam deportari ius-
sit. Ibi benignè habitus, extractis
magnâ artis industriâ spiculis, sub
sedula mulieris cura in tantum pro-
fecit Sebastianus, ut non multos
intra dies ad plenum convaluerit,
magnâ Christianorum lætitiâ & so-
latio;

Mors gloriosa, corporis ex latrina elev. 27

latio; quod tamen diuturnum non fuit: integrè namque sibi restitutus, quâ erat libertate animi, progredienti Cæsari ad Scalas Heliogabali occurrit, acrique oratione infaturatam hæcenus Christiani sanguinis profusionem exprobravit. Cohorruit ad inopinatum Sebastiani, quem mortuum crediderat, aspectum Diocletianus; spiritum quippe se videre primâ fronte arbitrabatur; ubi verò ex metu se collegit, intellexitque, illum ipsum Sebastianum esse ex vulneribus sibi redditum, brevè effecit Cæsar, ut bis, & certius moreretur. Indignè scilicet ferebat Tyrannus, à Sebastiano reprehendi; quis enim nescit, delicatas plerumque Regibus, præsertim malis, aures esse, & veritatis admodum impatientes? quare mox in mandatis dedit, ut virgis & fustibus tam diu cæderetur, dum spiritum minimè dubium, inter immania verbera relinqueret. Corpus exinde unço
infi.

*Sebastianus
fustibus con-
tusus, & in
latrinam
abiectus.*

28 *S. Sebast. illustre Certamen, ac Martyr.*

infixum clam à militibus in sordidam & fætentem lacunam demersum est, ne Christianis cognitum postmodum in honore esset. Sed suavis ac vigil DEI Providentia, quæ suorum curam habet, aliter disposuit: Lucina quippe Matriona lectissima, à conspicuo in somnis Sebastiano admonita, designato loco sacrum corpus piscata, pretiosas exuvias, ejus hortatu ad Catacumbas sepelivit, ubi S. Sebastiani celeberrima Ecclesia postmodum fuit ædificata, estque ipsa inter septem Urbis nominatiores.

*Ejus Corpus
à Lucina
de clauca
elevatum.*

*S. Sebastiani
heroica vir-
tutes.*

Et hoc quidem gloriosum Laureati Martyris Sebastiani certamen fuit, plenum fortitudine, plenum admiratione. Superest, ut de virtutibus ipsius nonnihil dicamus, quæ sanè fuere in gradu heroico & excellenti. Chorum ducat generosa rerum terrenarum & ipsius vitæ, quæ aliis tam pretiosa ac chara est, constans despicientia. Poterat

*Contemptus
Terrenorum.*

terat equidem opibus abundare Sebastianus, voluptatibus affluere, titulis & dignitatibus florere; Sed hæc omnia, ceu indigna, infra se duxit. hac virtute armatus Romam petiit, ubi tum cruenta omnium horarum persecutio fervebat, certus, etiam se futurum inter gloriosas victimas, quæ tanto numero quotidie barbaræ crudelitati litabantur. In aulam Diocletiani meritis suis accitus, ab aula intactus vixit, eas unas fortunas & divitias suas ratus, quas afflictis Christianis impenderet, eos solos honores veros & se dignos, quibus prodesse aliis posset. Et profuit sanè, omnibus omnia factus; quando vir tantæ auctoritatis & splendoris sordidos percurfare carceres, victos invisere, solari mæstos, acuire vacillantes, surrigere lapsos, nobile duxit, & dignum triumpho suo, ut satis quandoque esset ad tormentorum victoriam, Sebastianum alicubi cer-

30 *S. Sebast. illustre Certamen, ac Martyr.*
tamini seu spectatorem, seu hortatorem interesse. Magnanimæ huic, de qua dixi, rerum despicientiæ juncta erat, proxima velut consanguinea insignis castimonia, quæ Sebastiano fuit florentissima; fortitus siquidem erat animam bonam in corpore puro & innocente. Modestia ipsius erat omnibus pro speculo nulla labe afflato, in quo vivam virtutis speciem ad regulas sancti decõri factam intuerentur. Lucebat illi pudor ex oculis, reverentia ex vultu; candor sedebat in fronte: totus homo idea quædam erat nitidissima virtutis absolutissimæ. Nihil erat quæsitum, aut coactum in gestibus, nihil nimium, aut fictum in verbis, nihil molle in corpore: omnia spirabant pudicitiam, omnia sanctitatem; ea enim primorum Christianorum felix tunc ætas, morumque præstans integritas erat, ut vitia honestati contraria nescirent potius, quàm vincere.

Vix

Insignis Castimonia, & Modestia.

Mors gloriosa, corporis ex latrina elev. 31

Vix nomen luxuriæ notum erat in populo DEI, nedum inquinamenta, nostris hisce sæculis tam vulgata, & latè per omnes hominum status fusa. Verùm & ex eo admirabilior Castitas Sebastiani fuit, quò magis erat cum amore conjuncta, cui rara plerùmque cum liliis amicitia: fuit autem temperamento tam facili & comi in omnes promiscuè, ut viri humanitatem amarent etiam hostes, tametsi odio haberent fidem. Christiani passim dicebant patrem ob ingeniosam & liberalem, quâ omnibus præsto erat, Charitatem: pulcherrimam siquidem virtutem rebatur Sebastianus tutelam miserorum, quâ omnes sibi lucrabatur. Quid autem de incredibile Martyris libertate & fortitudine dicam? Verba ipsi non erant venalia, non ad adulationem composita, non ad quæstum, aut favorem excogitata, non ad servitutem facta: erant justiponderis & ad libellam rationis
exa-

*Libertas &
fortitudo.*

examinata: veritatem dixit imper-
territè & publicè in faciem ipsi Cæ-
sari: Neque enim formidabat ho-
minem, aut Majestatem, ubi loquen-
dum erat. Difficilè equidem est,
fateor: belluarum morsus irritare,
longè tamen difficiliùs, Tyrannum
sanguini assuetum provocare: pro-
vocavit tamen Sebastianus expro-
bratione impietatis, liberâ profes-
sione fidei, commiseratione & re-
verentiâ innocentis sanguinis. Pru-
dentix fuit, artificiosâ Charitatis
larvâ personam Christiani tantisper
occultare; fidem verò publicè pro-
fiteri, fortitudinis nihil timentis.
Quare stetit inter fulgurantes gla-
dios, inter strictos acinaces sub car-
nificibus, atque tormentis intrep-
idus, sub densissima telorum gran-
dine immotus, sub immani fustiga-
tione, & membrorum omnium
conquassatione, confractione capi-
tis, elisione cerebri invictus, &
quasi res in alieno corpore agere-
tur,

Mors gloriosa, corporis ex latrina elev. 33

tur, ut ita dicam, marmoreus.
Hæc animi fortitudo, utriusque fortunæ victrix, non nisi nobilissimorum Martyrum est, qui neque amare sciunt, neque timere, sed more Oceani, quicquid demum illabitur, omnia in colorem suum trahunt. Quod si vir fortis (extra Martyrum Lauream) quiscunque tandem, cum adversa fortuna commissus dignum DEO theatrum est, ut ait Seneca *Lib. de Provid. c. 2.* quantum Spectaculum erit Christiana constantia, hinc cum Tyrannis, inde cum immanissimis tormentis collisa; hinc cum bestiis luctata, inde tota aurea in accensis fornacibus spectata; hinc Sagittis confixa, inde gladiis amputata, alibi mille calamitatibus exercita? Finio, nullum exitum inventurus, si omnia Sebastiani trophæa vel leviter perstringenda forent. Pueritiam ipsius, qualis fuerit, scriptorum inopia, vel negligentia nobis subtraxit. Plura ejus

C facta

34 *S. Sebast. quâ occasione passim ac Ecclesia*
facta temporum iniquitate latent,
quàm pateant. Sufficit nobis, ex
ungue Leonem nôsse, & paucis vir-
tutibus, quæ nobis cōgnitæ sunt,
reliquas metiri. Potius verò id sa-
tagamus, ut, quod Magnus Augu-
stinus *Sermone 47. de Sanctis.* monet,
Solemnitates Martyrum, exhortationes
sint martyriorum: ut imitari non pi-
geat, quod celebrare delectat.

§. III.

S. SEBASTIANUS QUAE
OCCASIONE PASSIM AB EG-
CLESIA IN PATRONUM CON-
TRA PESTEM FUERIT
ELECTUS.

Habet aula DEI, si parva licet
magnis componere, quan-
dam ferè cum aulis Regum simili-
tudinem, & veluti ordinem. Solent
Principes, ut satrapis suis auctoritatè
in populo concilient, eosdem variis,
ijsque publicis officijs cum potestate
præficere, velut olim Pharao, quem
sub-

subditis suis dixisse, intelleximus,
cū fruges peterent: *Ite ad Ioseph,*
Genes. 41. v. 55 Ut exemplis suis hīc
locus, & gratia sit, quæ multū rem
explicant, iuvat corā expendere,
quomodo de Præcerum numero ac
delectu iste palati, ille ærario, hic
iudiciis & tribunalibus, ille supplici-
bus libellis, alius tributis & vectiga-
libus, diversi diversis præponantur.
Honorifica ista sunt munia, & non
nisi magnis meritis debita. Id ipsum
Deo consuetum est: Sanctos, tan-
quam amicos suos, coli, & ceu Pa-
tronos à nobis adiri vult. Sic Mi-
chaëlem Angelorum Principem
animarum examini & iudicio præ-
fecit Deus, ut ei agonem nostrum
& supremum articulum impensius
comendaremus: Sic Petrum Apo-
stolum datis Cæli clavibus Palatio
suo præposuit, ut faciles per ipsum,
tanquam Cæli janitorem, fores spe-
raremus. Sic Nicolaum Myrensem
naufragiis, Leonardum carceribus,

Anton um Patavinum rebus perditis præesse voluit: Sic Valentinum morbo caduco, Antonium magnum igne sacro laborantibus, Libor um calculo, Apolloniam dentibus, Ottiliam oculis mederi iussit, ut pio affectu Divos prosequeremur. Porro infiniti propè sunt aliorum morborum Medici, quos enumerare nèque instituti nostri est, nèque angusti hujus libelli; Unum Sebastianum hoc loco tamen commemoro, quem Pestis, fatale quandoque Provinciarum malum, & hominum vorago, Archiatrum accepit, observatumque est antiquitus, non multo post exantlatum fortiter à D Sebastiano Martyrium, eundem à fidelibus adversus Pestem fuisse invocatum.

*Symbolica
D Sebastiani
Sagitta.*

Pierius Valerianus, eruditus Scriptor lib. 42. cap. 17. censet, hieroglyphicum fortè circa hujus Sancti cultum intervenisse: nam quemadmodum, uti est in fabulis, irati Apol-

Apollinis Sagittæ, ab arcu ejus in humanum genus emissæ Symbolum quoddam fuere Pestis, ita sagittas Sebastiani multo meliores creditas, mortiferis illis sagittis, persuasione populorum, per modum antidoti fuisse oppositas, quibus fabulosa tela retunderentur. Consonare videtur Scriptura sacra, cujus familiaris identidem phrasis est, justam DEI iram & vindictam, aliâque orbi impendentia mala, ac pœnas usitato sagittarum vocabulo explicare. Sic coronatus Psaltes loquitur. *Psal. 7. v. 13. Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; Arcum suum tendit, & paravit illum. Et in eo paravit vasa mortis; Sagittas suas ardentibus effecit.* En signum Sagittarii in Cælo, in Zodiaco divinæ Justitiæ, armatum in improbos, qui, si non haberent, quem timerent ab alto, evaderent præfidentes & nimij, pressa verò & calamitosa virtus in tanta scelerum impunitate

38 *S. Sebast. quâ occasione passim ab Ecclesia*
ad ipsam desperationem interdum
adigeretur: Unde *Psal. 59. v. 6. edit*
eis, significationem, ut fugiant à facie
arcûs instructi sagittis jam paratis ad
scopum & propediem avolaturis,
nisi in tempore resipiscant. Hoc ipso
sensu in vita S. Dominici legimus
Juxta Fastos Marianos 4. Augusti.
castigaturo olim Filio DEI scelera-
tum mundum tribus fatalibus sa-
gittis, fame, peste, & bello Dei-
param Virginem, humani generis
miseram opportunum clypeum
objecisse, viros duos sanctissimos,
Orbis in ruinam inclinantis Atlan-
tes Dominicum & Franciscum, eo-
rumque Religiosas familias, orbis
errarum sustentatrices columnas.
Ex quo manifestè colligimus sagit-
tæ nomine vindicem DEI plagam,
venenatam pestem rectè ac signi-
ficanter exprimi, atque describi.
Cum igitur D. Sebastianus dolori-
ferum admodum & multiplex à tot
sagittis toto corpore exceptis Mar-
tyrium sustinuerit, mirum non est,
quòd

quòd à prima Ecclesia in meliorem quodamodò Christianorum Apollinem fuerit electus, utpote cujus pharetra meritis plena, valitura esset adversus venenata scævientis contagionis spicula toties humano generi funesta & noxia.

Huc facit, quod Ribadeneira, perquam diligens Scriptor in vita S. Sebastiani memorat de peste Italiae, quæ tempore Agathonis Pontificis, Romæ præsertim & Paviæ, & alibi æstivis mensibus Julio, Augusto & Septembri adeò truculenta fuit, ut corrupto Cæli haustu homines muscarum instar conciderint, & vix cœmiteria humanis suffecerint. Viderunt eâ tempestate, uti historiae memorant, non pauci circa crepusculum vespertinū per Romanas plateas duos Genios discursantes, quorum unus bonus coloris albi, & candidi erat, alter infausti & nigri. Diceres diem & noctem personatam. Bonus or-

*Pestis per
Italiam fræ-
quens, & de
ea memora-
bile factum.*

40 *S. Sebast. quâ occasione passim ab Ecclesia*
dine & dignitate præcedebat ; se-
quebatur niger venabulum manu
præferens. Albus modum & men-
suram vindictæ definiebat , niger
divinæ justitiæ quasi quidam lictor
& executor erat : quotquot ergo
fuscus Angelus , alterius imperio,
ictus venabulo suo cuius januæ im-
pingebat , tot eâ nocte funera do-
mus illa recensebat, ad modum ca-
stigatæ olim Ægypti , ubi Angelus
percutiens promiscuè stragem ede-
bat per omnes domos, in quarum
limine agninus character & rubrica
non legebatur : Nam innocentis
animalculi sanguis propylæo in-
scriptus frænum erat mali pergraf-
fantis ac sævientis , ne boni cum
malis, nullo habito discrimine, mul-
tarentur. Similis propè, ut dixi,
facies Romæ morientis erat, sedente
Agathone ; at, ubi primùm publica
D. Sebastiano ara in S. Petri ad vin-
cula erecta est , subitò commune
malum Urbi tam infestum leni ab-
ster-

in Patronū contra pestē fuerit electus? 41

sterfione depulsum est circa annum
Christi Sexcentefimum Octogesi-
mum.

Haud multū abfimilis historiæ
meminit Scriptor gravissimus Cæ-
sar Cardinalis Baronius. *Tom. 7. An-
nal. circa annum à partu Virginis quin-
gesimum nonagesimum*, Pelagio
sedente, ubi narrat, eo tempore
per Italiam venenatis de Cælo sa-
gittis pluiffē, quibus quotquot vel
leviter tacti, signatīque fuiffent, ex
peste mox obiiffē, minimo vitæ ac
mortis intervallo; ubi verò Roma-
ni ad D. Sebastiani patrociniū
confugiffent, contagionem sub cæ-
lesti hoc Æsculapio desiffē. Sub-
inde ex Urbe Roma, veluti ex corde
Christiani Orbis & Religionis Me-
tropoli propagata ejus invocationis
pietas cum salutari exemplo tradu-
cta est & derivata in reliquas Ur-
bes, ac Provincias, ita, ut vix totâ
Germaniâ Orthodoxâ paulò cla-
rioris nominis civitatem videre

*Pestis Roma
S. Sebastiani
invocatione
depulsa.*

*Invocatio
S. Sebastiani
contra pe-
stem ulceris
propagata.*

C 5 fit,

42. *S. Sebast.* quâ occasione passim ab Ecclesia
fit, in qua D. Sebastianus Ecclesi-
am, aut aram honori suo positam
non habeat adversus pestem vali-
turam. Adde, quòd pluribus in
Dioecesibus dies ipsius annuâ quo-
que celebritate in foro, ut vocant,
feriatus & solennis magnâ populi
veneratione peragatur: Ex quo il-
lud certè evincitur, Sebastianum in
æstimatione Ecclesiæ non tantum
in numero præstantium Martyrum
censeri, verum etiam eorum, qui
plurimum apud DEUM adversus
publicas calamitates suffragio suo
possint. Cujus rei luculentissimum
testem D. Ambrosium adduco, qui
ante mille ducentos annos ita de
S. Sebastiano scribere non dubita-
vit in Commentariorum suorum,
quæ in Sacram Scripturam elucu-
bravit, eleganti præfatione, ubi
Christum sic alloquitur: *Sanguis
D. Sebastiani Martyris pro Neminis
tui Confessione profusus immensum il-
lud opus tuum, quod in vilissima mor-
tali.*

in Patronū contra pestē fuerit electus? 47

z alium creatura operari non desinis, ostendit, quòd virtutem in infirmitate perficias, nostrisq; studijs & conatibus des operam, ac profectum, quin nostris etiam locum obsecrationibus, ut agroti tuo concurrente auxilio divino adjuvari possint. Hæc apud Mediolanensis, quibus melleis verbis nil porrò addi debere judico. Qui plura similia, seu absterfa pestis pericula, seu miracula intelligere volet, consulat eruditum & copiosum Auctorem Thomam de Trugillo, quæ habet de vita S. Sebastiani; nos enim non nisi amœna & grata breuitas

juvat,



§. IV.

§. IV.

CRANIUM S. SEBASTIANI M. ROMA EBERSPERGAM TRANSLATUM, IBI-DEMQUE PER SEPTINGENTOS ANNOS ET ULTRA, SUMMA VENERATIONE ASSERVATUM. VÉRITAS EIUSDEM SACRI CRANII ASSERITUR, ET STABILITUR.

Tot ubique, teste nominatissimo Bollando, feruntur per orbem Christianum passim haberi & asservari de S. Sebastiano lipsana, ut propè dubium sit, an nobilissimus ille Martyr non fuerit plurimum capitum, aut corporum homo. Certè plures sibi arrogant integras partes notabiles de Cranio, mento, maxillis, brachiis, & ceteris ossibus majoribus, uti videre est apud eundem Bollandum, sacrae antiquitatis scrutatorem indefectum, in vita S. Martyris XX. Januarij. Nobis nulli movendi li-

*Cui multa
passim S. Se-
bastiani Re-
liqua.*

tem

tem animus est, cum nemini, quod
habet, invidemus, modò habeat.
Pronum tamen est, hanc multipli-
citatem Lipsanorum unius ejus-
demque Sancti inde fluxisse, quòd
plures Sancti ejusdem nominis fue-
rint, quos Romanum Martyrolo-
gium recenset: fieri autem crebrò
experimur, occasione nominis sæpe
quoque errari in re: id, quod in
præsenti Controversia fortè etiam
contingit: Nam, cum plura Lipsana
aliorum fortè Sebastianorum Mar-
tyrum hinc inde serventur, quisque
piâ adulatione & credulitate se ha-
bere sibi persuadet de illo Martyre,
qui ceteris est notior, ac celebrior,
qualis est hic ipse Sebastianus, de
quo agitur, quem Ecclesia DEI re-
liquis minùs cognitis ritu duplici,
publicâ prærogativâ & cultu præ-
fert.

Alter fons diversarum opinio-
num, qui in Reliquiarum assertio-
ne quandòque intervenire potest,
est

est is, quòd sacra interdum ipsa
ex uno in alterum locum translata
sint, absque eo, quòd ea translatio
palàm cognita, aut manifesta fue-
rit. Sic antiqui Germani Cæsares
ex Italia de occupatis Urbibus, vel
aliàs, integra Nobilium Sanctorum
corpora clam in Germaniam abstra-
xisse leguntur, quæ populorum illo-
rum opinione nunquam loco mo-
ta, atque etiamnum penès se asser-
vari piè quidem, sed perperam cre-
duntur: unde fit, ut uterque locus
quandòque de Sancti corpore con-
trovertat, ipsique Scriptores par-
tium, pro suo quisque studio, & af-
fectu, variant. Idem circa Crani-
um certamen esse potest Sancti cu-
juscumque qualiscumque: Nam, cum
Cranium hominis tribus partibus
constet, occipite, sincipite, & su-
periore testâ, hinc, ubi locorum
una harum partium extat, Cranium
vulgò esse dicitur, non quòd ibi to-
tum sit, sed quòd pars aliqua nota-
bilis & præcipua. Ve.

Verùm ista non moror, ad rem ipsam veniamus, &, quâ ratione suprema pars Cranii D. Sebastiani Eberspergam allata sit, ibique extet, differamus. Extruxerat Eberhardus hujus nominis primus Semptensium Comes, successione verò tertius novum, idque magnificum pro ea ætate in monte, seu clivo Eberspergensi templum, cujus fabricæ plenior descriptionem infra cap. 3. §. 2. subjungimus. Pro hac sua Ecclesia (quæ antiquorum Germanorum in sacris conquirendis Reliquiis pia & insaturata cupiditas erat) Hunefrido maximè, primo Canonorum Regularium Eberspergæ Præposito, viro Sanctitatis famâ inclyto, satagente, pientissimus Comes Anno DCCCCXXI. varios quâ Seculares, quâ Religiosos Viros Auctoritate conspicuos & suadâ non inefficaces quaquaversum ablegavit, Romam præsertim, tot Martyrum Sanguine irrigatam palæ-

Cranium S.
Sebastiani
Eberspergæ.

palæstram, ut ex illo Sacrorum Li-
 pfanorum emporio, & aliunde etia-
 am, varias pro novo templo Reli-
 quas comportarent, quas inter
 Principem utique locum meretur
 Cranium, seu superior testa Cranii
 D. Sebastiani Martyris. Concessit
 id benevolè Stephanus VIII. Roma-
 nus Pontifex tunc sedens, quem
 alii septimum dicunt, Baronius verò
 octavum nominat, cujus verba al-
 légo: *Post sex menses, & dies quin-
 decim subrogatus est Stephanus ejus-
 Nominis octavus dictus septimus, &c.*
 Ita ille *Tom. X. ex edit. colon. fol. 715.*
 Auctor Romæ Gloriosæ perinde
 Octavum facit, eique hoc Elogi-
 um tribuit, quod adscribo: *Stephani
 vita mansuetudinis & religionis ple-
 na fuit.* Quamquam hæc verba
 Platina Stephano VII adscribat
 vide in præsentī Controversia no-
 strum P. Christophorum Ott *Edi-
 tion. Oenipont. fol. 339.* ut ceteros
 taceam, qui idem sentiunt.

Sacrum hoc spoliū Eberspergam delatum incredibile est, quanto gaudio, Eberhardi Comitis fuerit exceptum; ab eoque tempore per septingentos annos insigni populi veneratione ac fide, constantique multorum millium undiue confluentium peregrinatione colitur.

Porro ut firmamenti non levibus hujus sacri Lipsani authenticam veritatem stabilitum eamus, ajo, si nihil aliud documenti haberemus, abundè fortassis suffecturam cuivis non contentioso rerum æstimatori septingentorum annorum venerabilem antiquitatem, ac tot seculorum inconcussam traditionem, quâ magistrâ firmiter credebatur hucusque, & creditur etiamnum non levibus fundamentis, Eberspergæ existere hanc pretiosi Cranii partem. Et sanè alteri fortè Sancto dedicatum illud Eberhardi templum fuisset, nisi hoc sacrum

*Testimonia
de Cranio
S. Sebastiani
Eberspergæ
asservate.*

D Lipsa

Lipfanum in tempore allatum præstantiâ suâ optionem absolvisset, ut huic, non alteri consecraretur.

Accedunt per tot annos continuata uno quasi eodémque filo cælestia beneficia, seu miracula, quibus à primo suo appulsu sacrum Lipfanum cœpit clarescere, & si res etiamnum. Prodigiorum illorum elenchum bene magnum infra suo loco dabimus, capite peculiari Achilles horum miraculorū in persanato Udalrico Comitis filio, templo necdum dedicato, secuturis prodigiis prælusit pulcherrimè, ad cuius lectionem infra in ordine rerum scriptarum Lectorem remitto non autem verisimile foret, divinam gratiam tot ac tanta virtutis suæ signa in loco operaturam, si Lipfanum illud reverâ non esset legitimum, atque authenticum. Verum præter hæc non desunt testimonia, quæ in humanis, quanta haberi potest, fidem mereantur, si non

non summam & indubitam, cer-
tè eximiam. R. D. Hermannus
Banvik deputatus septem Ecclesia-
rum Romæ Sacerdos, & peregrino-
rum eò confluentium deductor in
suo abs se edito & sæpiùs recuso
libello de Reliquiis septem Eccle-
siarum, ubi de S. Sebastiano agit,
expressè meminit, partem sacri
Cranii Eberspergæ Bojorum serva-
ri, ibidémque in magna populi ve-
neratione esse.

Pius II. in sua Pontificia Bulla ex-
pressè itidem meminit notabilis
partis Cranii D. Sebastiani, quòd
Eberspergæ servetur, & causa sit, cur
ea Ecclesia à piis peregrinis magnâ
frequentia per annum visitetur, di-
gna proin, quæ Apostolicis gratiis
& indulgentiis amplius decoretur.

Clemens VIII. Pontifex Opt.
Max. motus insigni studio & ve-
neratione, quâ in D. Sebastianum
ferebatur, non dubitavit tam pre-
tiosum thesaurum à Sereniss. Guili-

elmo V. Bojorum Duce Romam
postliminiò repetere, & ad se re-
vocare, quod tamen postulatum
idem Dux infimis precibus mode-
stissimè deprecatus est, ratus, uti
re ipsâ erat, meliorem esse condi-
tionem possidentis; quis enim Prin-
ceps tanto thesauro se, suosque sub-
ditos, ferventer Catholicos, apud
quos mala hæresis cathedram pe-
filitiæ nunquã fixit, facilè privet?
Ex quo hoc unum concludo, ipsis
Sumis Pontificibus omnino persua-
sum esse, partem Cranii S. Sebastiani
Eberspergæ servari, quo quidem
Apostolico suffragio, post DEUM
proximo, majus & fortius in hu-
manis non datur.

Quanti porrò hoc Sacrum Cra-
nium æstimârit Sigismundus olim
Bavariæ Dux, magnæ illius ac cele-
berrimæ Basilicæ Monacensis con-
ditor, ex pio erga Divum affectu
factis testatus est facto ipso, dum
viveret; nam de Lipsano hoc, ma-
jorum

jorum suorum exemplo, semper aliquid penès se retinere voluit, moriens verò illud loco suo, hoc est, Eberspergæ restitui præcepit, idque non obiter, & levi calamo, sed literis solennibus chirographo suo, & añulo munitis III. May Anno post Christum M. CCCCLXXIV.

Sed & ipsi Imperatores, nominatim Ferdinandus III. qui S. Sebastiano aureum calicem rari operis, ac pretii obtulit, Principes varij, Nuntij Apostolici, Legati, multique alii primarii nominis, ac dignitatis sacro huic Cranio magnos honores, gratias, dona & Privilegia impertièrunt, non utique id facturi, si ullo modo de veritate tam præstantis Lipsani dubitassent.

Quòd si tamen quis superesset tam morosæ, tardæque fidei, qui his quæ rationibus, quæ testimoniis, etiam Infulatis & Coronatis, totique canæ antiquitati septem Seculo-

D 3 rum,

rum & quod excurrit, assentiri cunctaretur, eū sanè ad appensa tot anathemata, & beneficia humanis viribus & potestate majora, hīc loci impetrata denuo ablegarem, & verba illa disertissimi Richardi à S. Victore, quæ ipse habet de credibilitate Ecclesiæ lib. 1. de Trinit. debita cum modestia, proportionē, ac reverentia insufurrarem; dicerem illi leniter in aures; *Domine si error es (quod credimus) à te ipso decepti sumus; Nam ista in nobis tantis signis, & prodigijs confirmata sunt, & talibus quæ non nisi per te fieri possunt.* Hucusque Richardus. Quæ omnia sufficere posse, ac debere arbitror illum qui neque leviter credere, neque etiam obfirmare sententiam adversus veritatem pertinaciter velit.



§. V.

UNDE MOS GERMANIS
INOLEVERIT EBERSPERGÆ
EX CRANIO S. SEBASTIANI
BIBENDI?

Neminem, uti quidem opinor,
consuetudo illa latet, quæ
passim in sanitatem Principum,
Optimatum, & amicorum majoribus
etiam poculis respondetur;
nullo propè eorum lucro, magno
etiam plerùmque bibentium detrimento,
qui valetudinem propriam
nimio haustu perdunt, dum alienam
potando promovere satagunt.
Meminit hujus consuetudinis jam
suo ævo S. Ambrosius *Lib. de Elia & Jejun. cap. 17.* cujus verba noto:
Quid inquit, obtestationes potantium loquar? quid memorem Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? bibamus, inquiunt pro salute Imperatorum, & qui non biberit, fit reus indevotionis; videtur enim non amore Imperato-

D 4

rem

56 Unde mōs inoleverit Ebersperga ex
rem, qui pro ejus salute nō biberit. O pia
devotionis obsequium. -- Et hęc vota
ad Deum pervenire judicant &c. ---
O stultitiam hominum, qui ebrieta-
tem sacrificium putant. Et cap. 13.
in eandem rem ait: Primò minori-
bus poculis, velut velitari pugna pra-
luditur Verùm hęc non Sobrietatis est
Species, sed bibendi disciplina: --- Vbi
autem res calere cœperit, pascunt ma-
joribus poculis: fervor inardescit, &c.
cap. autem 14. de eodem argu-
mento ait: Quis tantum infudit men-
tibus venenum? --- Quanto melius in
terram tua vina fudisses? Quid te de-
lectant damna sine gratia? Rogas ad
jucunditatem; cogis ad mortē; --- Vi-
na pretendis; venena suffundis: omne
enim, quicquid nocet, venenum est &c.
Huc usque elegantissimus Ambro-
sius. ex quo satis patet, illud quan-
dōque magnis haustibus evenire,
quod nonnemo Poëtarum canit:
Non est in pota sepè salute salus.

At

At quo fine hæc scribimus? scilicet, ut ostendamus de alio longè nobiliore haustu isthïc differendi nobis occasionem nasci, quem jure optimo *Haustum sanitatis* appellaverim, in quo nullum valetudinis naufragium. quòd si enim in alienam salutem ex obsequio & reverentia bibere licitum est, cur non magis in propriam, quàm profectò homo inter bona corporis nihil habet delicatum magis, nihil pretiosius. Nunc ad rem. Mos sanè laudabilis plurium jam seculorum obtinet, ut Eberspergæ piis Peregrinis ex Cranio S. Sebastiani vinum in honorem Divi propinetur; neque soli vulgo & rusticis de sepe id usitatum, verùm etiam ipsis Principibus, & Honoratis, cùm ad gratiarum locum quandòque & ipsi invisunt: Maximi quique ac Summi ex utròque Sexu hunc sanitatis haustum admittunt, honorique sibi ducunt. Hujus piæ consuetudinis aucto-

D cto.

*Udalricus
Semptensis
Comes Au-
strie pii mo-
ris, bibendi
ex Cranio
S. Sebastiani.*

ctorem, Religiosissimum Sempten-
sium Comitem Udalricum I. anti-
quissimi fasti nostri produnt, qui pri-
mus sacrum Cranium, suapte for-
mâ & figurâ concavum per mo-
dum phialæ, inaurato argento ve-
stiri, & subduci curavit. Fortè
occasionem tam pii moris dedit ca-
lix Passionis, fortè haustus Divi Jo-
annis, qui in ejus Sancti honorem
passim bibi toto Christiano Orbe
solet in memoriam illius infecti po-
culi, quod innoxium Joannes, nul-
la veneni virtute, nullâ labe cor-
poris bibit. Certè & Sebastianus
de præclaro illo Martyrum numero
fuit, qui ex Christi sententia cali-
cem Domini exhausit, & da-
to sanguine immortalem gloriam
comparârunt. Fortè etiam Analo-
giam sumpsit vir pientissimus Udal-
ricus â potione medica, quæ in au-
ro, vel argento plerúmque ægris
porrigi, & adversus morbos amore
valetudinis ad fundum úsque ex-
hau-

hauriri solet. Credebat vir religiosus, tantundem virtutis sacro Cranio inditum adversus pestem, quantum cuivis alteri profano calici medicâ arte mixto & infirmis propinato. Quid enim non à sacro illo præclarissimi Lipsani attactu sperandum? Si enim aquæ naturales, quæ per mineras transeunt, & per scopulos repunt, salutarem quandam virtutem eo duntaxat linctû, & itinere in se attrahunt, secumque, quò meant, devehunt; Si mortuus ille in sepulchrum Elisæi casu dejectus ex attactu sacrorum ossium redivivus subitò in pedes exiliit, num abbreviatam medicam DEI manum in hoc præstanti Lipsano cogitabimus? Certè suâ spe frustratus non est pius Comes; tot enim beneficia ex eo tempore ab ægris adversus pestem & Epidemiam Eberspergæ accepta sunt, ut hujus inventi Sacri poculi inventorem & pincernam nunquam pænituerit. Neque con-
tinua-

tinuatus ille ad hæc usque tempore
salutaris mos etiamnum in sanita-
tem corporum & animorū scaturire
desinit : quem salutis scopum dum
omnibus D. Sebastiani cultoribus
huc invisentibus ex animo propino-
eundem adjecto cælestis virtutis
augurio mirum quantum proficere
jubeo.

§. VI.

AN D. SEBASTIANUS,
QUANDO MARTYR OCCU-
BUI, JUVENIS, VEL SENEX
FUERIT ?

Coronidem Synopsi nostræ im-
pono non inutili quæstione ad
D. Sebastianum spectante : Nam
locò Epiphonematis pia curiositas
esto, quæ suum quoque in animis
hominum aculeum & fructum ha-
bet. Quæritur, Sebastianus qualis
fuerit, Juvenisne, an profectionis
jam ætatis, cum illustre Martyrium
subiit ?

*S. Sebastia-
nus senex
potius, quam
Juvenis.*

Quæ

Quæ pictorum, atque Poëtarum
licentia non data, sed usurpata est,
plerique de Apellis tribu ac schola
Sebastianum Juvenem, imberbem
utcunque pingunt. Contrarium
omnino suadet tum ratio ipsa, quæ
regula est rerum incertarum, tum
etiam luculenta multorum testi-
monia, etiam suo ære digna.

Non videtur in primis Diocletia-
nus Imperator Juvenem aliquem
per incredibilem honoris saltum
custodiæ corporis sui, primæque
cohortis Ducem creaturus fuisse,
sed potiùs virum jam grandævum,
qui & consilio valeret, & cum au-
toritate milites in officio continere
sciret. Quis autem nescit, despica-
biles juvenes esse paucorum speci-
minum? Quis nescit, ad honorata
officia, in bello præsertim, per gra-
dus, & scalam illustrium facinorum
ascendi, apud Romanos, cultissi-
mum populum & Reipublicæ sci-
entissimum, qui olim non favoribus,
sed

*Probatum
Rationibus.*

sed magnis meritis, consilio, prudentiæ, pugno ac fortitudini omnia tribuerunt? Quis dein credat, Sebastianum in tanta apud Christianos auctoritate eâ tempestate futurum, ut passim nomine Patris appellaretur, imberbem etiamnum Juvenem? Quis sibi persuadeat, Cajum Romanum Pontificem, virum gravissimum, in tanto delectu præclarissimorum Heroum, gloriosum Titulum *Defensoris Ecclesiæ* Juveni Sebastiano daturum fuisse? Quis cogitet Sebastianum in aditu juventutis tantas opes collecturum fuisse, ut integras Christianorum familias ad ultimam pauperiem reductas alere, plurimos alios facultatibus suis juvare potuerit? Cetera omitto; quia in quæstione facti, ut ajunt, minùs oportet esse verbosum, aut prolixum. Potius ergo cum præclarissimis virorum insignium testimoniis sentiendum censeo, quàm cum pictoribus, quorum

rum artem & penicillum veneror,
sententiam verò liberè excogita-
tam non probo, nec sequor.

Cæsar Baronius à Bollandò in
Actis Sanctorum XX. Januarii in
vita S. Sebastiani allegatus refert,
in Ecclesia S. Petri ad Vincula Ro-
mæ antiquissimam S. Sebastiani
imaginem extare, quæ ipsum ut
senem repræsentat. Verba ipsius

recitemus: *Egregium, inquit, S.
Martyris monumentum, veneranda
ejus imago opere Musivo expressa, at-
que hæcenus integra exstat senili aspe-
ctu, & barbâ: quod pictores admo-
neant, qui juvenem illum palo alliga-
tum perperam pingunt.* hæc ille.

Ignoscendum tamen ejusmodi ar-
tificibus censeo: nam per juveni-
les vires & solidum corporis robur
fortè aliud penicillo insinuare non
volunt, quàm fortitudinem animi,
& incredibilem Herois magnani-
mitatem, præsertim cùm ipsemet
Sebastianus Ostroldo Lugdunensi
Epi-

*Probatæ
Autoritate
& Testimo-
nio.*

64 *An S. Sebast. juvenis vel senex &c.*

Episcopo in visione nocturna speciosi Juvenis figurâ olim apparuerit, uti Bollandus meminit, qui loco citato videri poterit. Sed de his satis: Neque enim cum pictoribus, quorum penicillum liberum est, litem suscipimus, sed quod verosimilius est, ostendimus. in rebus dubiis & incertis suum cuique pulchrum esto.

